

# FLORA.

№ 14.

**Regensburg.** Ausgegeben den 6. Mai. **1865.**

**Inhalt.** W. Nylander: Novitiae quaedam Lichenum Europaeorum variarum tribuum. — Christ: Primula graveolenti-viscosa. — Litteratur. — Botanische Notizen.

Novitiae quaedam Lichenum Europaeorum, variarum tribuum.  
Exposuit W. Nylander.

In Numeris 1 et 10 Florae hujus anni novas Lecideas haud paucas definivi; notetur vero eas non omnes species proprias sistere autonomas, sed satius sub speciebus jam cognitis et comparatis quasdam sicut formas peculiare subsumi posse. Parum quidem prodesse videtur nimis distinctionibus operam dare, sic enim in chaos itur fallax statuum accidentalium, qui nihil typicum nihilque speciatim describendum exprimunt et qui in Lichenum classe facilius oriuntur quam in ulla alia, ansam uberrimam praebentes inventis novis infinitis proferendis. Ruina scientiae seriae sic paratur similiter ac excessu qualicunque vel nisu rebus occupato veritati alienis. Non nisi vere distincta distinguenda sunt, at accidentalia et atypica rejicienda vel ad typos suos reducenda.

Hic species recenter detectas tribuum variarum exponendi venia detur.

1. *Collema subbadium* Nyl.

Thallus fuscus vel fusconiger sat tenuis areolato-verrucosus; apothecia badiofusca conferta planiuscula parva (latit. circiter 0,4 millim.), conferta, primo ellipsoideae, longit. 0,013—16 millim.,

Flora 1865.

14

crassit. 0,008—0,010 millim., paraphyses fere mediocres. Gelatina hymenea iodo coeruleascens.

Ad saxa calcis primitivae in Finlandia orientali, Ruskiala.

Apothecia fere thallum tegentia. Facies fere *Lecanorae badiæ* obscurioris. Thallus intus totus, lamina tenui visus, virens et minute cellulosus; granula gonima sat parva vix moniliformi-juncta.

### 2. *Leptogium rhyparodes* Nyl.

Thallus fuscus vel saepe fusconigrescens furfurosus, tenuis, aut subgranulosus, diffusus; apothecia concoloria vel rarius (magis evoluta) rufescentia parva (latit. 0,2—0,4 millim.), deinde planiuscula et denique biatorina; sporae (formae maxime solitae in hoc genere) ovoideae (apice infero aut utroque attenuatae), submurali-divisae, longit. 0,020—30, crassit. 0,011—14 millim., paraphyses gracilescentes. Gelatina hymenea iodo coeruleascens.

Ben Lawers in Scotia, ad saxa micaceo-schistosa (Jones). Thallus addita solutione aquosa iodii colore vinose rubescente tingitur.

### 3. *Pyrenidium actinellum* Nyl.

Thallus sordide vel obscure olivaceus adnatus maculas parvas (latit. vulgo 1—2 millim.) sistens tenuiter stellato-divisus. radiis vix nisi apicibus attenuatis discretis; apothecia pyrenodea, in centro thalli parce obvia, prominula, perithecio integre nigro (latit. 0,30—0,35 millim.); sporae 4nae fuscae vel fuscescentes oblongae 3-septatae, longit. 0,020—24 millim., crassit. 0,008—0,010 millim., paraphyses graciles parcae vel obsoletae.

Ad calcem (cretam) in Boxley Hill, Kent, legit. cl. Jones<sup>1)</sup>.

Lichen est quam maxime paradoxus. Apotheciis pyrenocarpis et sporis infuscatis distat a Collemeis, sed textura thalli accedit ad *Leptogium*. In centro fere cujusvis thalli apothecia inveni; divisiones hujus variant adscendentes vel erectiusculae (crassit. 0,03—0,09 millim.). Thallus iodo vinose rubescens<sup>2)</sup>.

1) Dominos Jones, Crouan et Norrlin speciebus maxime notabilibus attenta investigatione detectis inter exploratores Lichenum europaeorum hodiernos sane meritissimos adscribendos esse crederem.

2) Inter Collemeos citetur adhuc *Collema fursureum* in Ben Lawers (Jones), affine *Collemati granuliformi*, quod etiam in Scotia obvenit (Jones). — *Leptogium placodiellum* dixi *L. diffractum* Kphb. (Flora 1861, p. 258), quod nomen jam affini Collemati adhibitum fuit; a Dre. Ripart in Gallia centrali lectum est.

#### 4. *Calicium trajectum* Nyl.

Thallus vix ullus distinctus; apothecia sicut in *C. eusporo*, sed breviora et nonnihil validiora; sporae (ut in *Physciis melanocarpis*) oblongo-fusiformes bi-loculares (vel 4-loculares), longit. 0,052—60 millim., crassit. 0,016—21 millim.

Corticola, New-Forest, Hampshire. Legit rev. Salwey.

#### 5. *Stereocauliscum gomphillaceum* Nyl.

Thallus glaucescens granulosus vel granuloso-leprosus effusus sat tenuis; apothecia nigra irregulariter subglobosa (diam. transvers. 0,5 millim. aut minora) vel suboblonga, hypothecio (laxe fixo) podetiiformi corneo-hyalino aut obscurato vel nigricante (stipite hoc parum tenniore quam apothecium et altitudine 1—2 millim., plus minus granulose tecto, interdum polycephalo); sporae 8nae incolores fusiformi-oblongae 3—7-septatae, longit. 0,023—33 millim., crassit. 0,006—7 millim., paraphyses haud discretae, hypothecium subincolor vel leviter fuscenscens. Gelatina hymenea iodo coeruleescens (thecae ita intensius tinctae).

Ad saxa granitica in Finlandia media, Hollola. Detexit d. 30. Julii 1863 praestantissimus J. P. Norrlin.

Pertinet haec species ad genus novum omnino distinctum<sup>1)</sup>; faciem habet quodammodo *Stereocauli cereolini* Ach. minuti, sed apothecia cephaloidea. Referenda est ad Baeomyceos, vel tribum novam peculiarem format iis accedens.

#### 6. *Stereocaulon cupriniforme* Nyl.

Thallus humilis, podetiis depressiusculis ramosis caespites formans (altit. 10—12 millim.), podetiis parum vel vix denudatis et inde vix visibilibus (fere mediocris crassitiei), totis granulis albidis parvis verrucoso-congestis crasse obductis; apothecia cupreo-rufa (vel variantia testaceo-fuscescentia, margine pallidiore vel rufo-fusco), plana vel convexiuscula (latit. 0,5—0,8 millim.), intus incoloria; sporae bacillares 3-septatae, longit. 0,021—25 millim., crassit. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses apice clava lutea. Gelatina hymenea iodo coeruleescens.

In Finlandia media, Asikkala. Legit Norrlin<sup>2)</sup>.

1) De sic dicto genere sensu Massalongiano hic non agitur, qualia infinita exponere facile est negotium.

2) Memoretur hic *Cladonia papillaria* var. *apoda* Nyl., apotheciis fuscis vel fusco-rufescentibus sessilibus aut subsessilibus supra crustam thalli, planiusculis immarginatis (vel margine obsoleto) confertis; sporae ei oblongae,

7. *Placodium fulgidum* Nyl.

Subsimile *Placodio fulgenti* DC., apotheciis vero persistentibus lecanorinis (epithecio croceo-aurantiaco, margine thallino cingente sulphureo interiori latere aurantiaco-tincto), sporis oblongis simplicibus, longit. 0,012—20 millim., crassit. 0,005—6 millim. (interdum altero apice vel utroque crassiores). paraphyses crassae (crassit. 0,0045 millim.).

In Gallia meridionali. prope Cannes. supra terram. Legit Dr. Bornet<sup>1)</sup>.

8. *Opegrapha ochrocheila* Nyl.

Similes *O. variae?* f. *signatae* Ach., sed apotheciorum margine vel excipulo ochraceo; sporae fusiformes 3-septatae, longit. 0,014—16 millim., crassit. 0,004—5 millim. hypothecium fusconigricans. Forte haud species propria.

Ad corticem in Gallia prope Pau (Larbalestier).

9. *Verrucaria subintegra* Nyl.

Thallus pallide cinereo-virescens tenuis rimulosus indeterminatus; apothecia mediocria convexula prominula, perithecio integre vel subintegre nigro; sporae fusiformes 3-septatae. longit. 0,020—27 millim., crassit. 0,006—7 millim.

Ad saxa granitica in insula Jersey (Larbalestier). Vix specie sit distincta a *V. chlorotica*.

10. *Verrucaria leptotera* Nyl.

Thallus obscure olivaceus vel olivaceo-nigrescens laevis subnitidiusculus determinatus sat tenuis; apothecia nigra minuta

---

longit. circiter 0,011 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim.; in ericetis Galliae centralis (Ripart), cum typo bene fertili. — *Dufourea ramulosam* Hook. lectam vidi in Insulis Spitzberg a Domino A. J. Malmgren.

1) Hoc loco notare liceat circa sic dictam „*Biatoram campestris*“ Fr., in Flora hujus anni p. 26 legi de auctore nominis „er habe in allen seinen Schriften bei der Beschreibung von *B. campestris* keine andere Art vor Augen gehabt als gerade diejenige, welche ich für die wirkliche Art erklärt habe.“ Sic D. Th. Fries! Quis vero viderit in Lichene dato in Fr. Lich. Suec. exs. 222 „hypothallum membranaceum“, „apothecia excipulo cupulari substipitato. margine sublacero“, vel „nunc sessilia, nunc in stipitem pro. ratione crassum constricta, primo clausa, mox rupta“, etc. (vidi Lich. reform. p. 265)? Anne in his verbis confusio manifesta latet et certe inextricabilis etiam verborum quam maxime exuberanti? Anne nullius est momenti, si Lichenem e Voegesis citatum archetypum examinavi et veram esse *Pezizam* inveni.

subinnata; sporae incolores oblongae 1-septatae (altero apice paullo crassiores), longit. 0,016—18, crassit. fere 0,005, paraphyses nullae.

Ad scopulos in insula Jersey. Legit Larbalestier<sup>1)</sup>.

Facie externa fere *Verrucariae mucosae*. Forte varietas *V. consequentis* Nyl. in Flora 1864, p. 357, differens apotheciis minoribus, sporis angustioribus. — Forma *leptoterae* missa a Domino Lähm (nomine *inconspicua*), thallo sordide olivaceo tenui opaco subrimuloso indeterminato, apotheciis fere dimidiato-prominulis (latit. circiter 0,1 millim.), sporis longit. 0,014—19, crassit. 0,0045 millim.; in Münster ad lapides calcareos humidos horti botanici (Lähm). Differentia loci hae differentiae exiguae oriri videntur; faciles ad scopulos, praesertim ab undis marinis lavatos, thallus laevigatur, firmus et determinatus evadit.

#### 11. *Melanotheca acervulans* Nyl.

Thallus macula albida subdeterminata vel effusa indicatus; apothecia nigra minuta (latit. 0,11—0,13 millim.), perithecio integre nigro, glomerulos parvulos (latit. 0,5—0,7 millim.) rotundatos vulgo formantia, saepe in foveolis saxi (ex apotheciis alienis olim ortis) gregarie innata et parum prominula; sporae 8nae incolores ovoideae (parte supera crassiores) 1-septatae, longit. 0,016—21 millim., crassit. 0,006—8 millim., paraphyses parcae molles vel fere obsoletae. Gelatina hymenea iodo non tincta.

In Gallia centrali, Cher, ad lapides calcareos duriores formationis jurassicae, supra terram. Legit Dr. Ripart.

---

#### *Primula graveolenti-viscosa*.

Im August 1863 fand ich alla croce des Bernina, zw. 7000 und 8000 Fuss, unter den dort sehr reducirten und kleinen Exemplaren der *Primula villosa* Jacq. und *graveolens* Heg. (*latifolia* Lapeyr.), eine Form, die sich als hybride beider Arten deutlich characterisirt, und die gerade jetzt (März 1865) auf's Schönste in meinem Fenster zu Basel blüht. — Ich gebe die vergleichende Diagnose der zwei Eltern nebst der Hybriden:

---

1) Dominus Larbalestier in Insula Jersey nuper detexit *Lithographam petraeam* (DR.) et *Verrucariam striatulam* Whlnb., momenta sistentia quam maxime memorabilia ad geographiam Lichenum Europae.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1865

Band/Volume: [48](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Novitiae quaedam Lichenum Europaeorum variarum tribuum 209-213](#)